



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXII. De probationibus in genere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)



*iur. patr. disc. 11. Cavaler. decis. 77. & 91. decis. 13. par. 7. rec.* Adhuc tamen discretè, pro facti qualitate, non autem iudicè id intelligendum est, ubi scilicet alia facti circumstantia, verisimilem talium scripturarum, ac omnium in eis contentorum scientiam redoleant, *Orthob. decis. 173. Duran. decis. 426.*

Item non modica est quæstio inter DD. an ea fides, quæ media dicitur, quia scilicet neque bona, neque mala positivè dici valeat; (Et quæ in errante, vel in dubitante consideratur) sufficiat, vel respectivè obstat; Atque plures desuper tradi solent distinctiones, ac declarationes *disc. 131. tit. de cred. & debitor.* Verum in praxi idealis esse videtur quæstio quæ est potius professoribus fori interni congrua, cum non de facili pro foro externo istius mediæ status probatio detur; Adhuc tamen, ubi daretur, ea videtur distinctio probabilis; An scilicet agatur de simplici, & ordinaria solum longi temporis præscriptione, pro qua eam alleganti incumbere videtur quoddam majus onus; Vel de illa longissimi; Maturius tamen reservo cogitandum in casu contingenti, cum id practicè disputare, occasio non dederit.

Ea verò, quæ de obdormitione præscriptionis de tempore pupillaris ætatis, vel de restitutione adversus tempus ætatis minoris, aut ignorantia, vel alterius impedimenti dicta sunt ex beneficio restitutionis in integrum; Non intrant in ea conventionali præscriptione, quæ contra defunctum auctorem capta sit, ex probabiliori sententia, quamvis non desint volentes, ut etiam isto casu restitutio intret, ex propria persona, ut in retractum sede advertitur *tit. de servit. disc. 87.*

In legali autem præscriptione capta contra defunctum, restitutio conceditur *Orthob. decis. 156. Cels. decis. 194.* Quæstione remanente in præscriptione judiciali, quæ varias habet opiniones; Pro facti verò qualitate quæstio decidenda videtur, spectata scilicet causa iustitiæ, quæ hoc beneficio magis, vel minus digna videatur.

Hæreditas jacens, jure pupilli, ex aliquorū sensu in hoc reputatur, ex aliorum verò, jure minoris, vel impediti, prima verò opinio probabilior est; Nisi de continuatione jam capta præscriptionis, contra defunctum, ut supra agatur, cum tunc persona præscribentis principaliter attendatur *de Marin. cap. 164. lib. 1. Rovit. decis. 41. decis. 193. par. 10. rec.*

In facultativis autem regula, est ut præscriptio non detur, nisi oppositio, cum subsequuta acquiescentia sequatur, *Gregor. & add. decis. 162. Buratt. & add. decis. 3. 2. tit. de præempt. disc. 26. & pluries sub tit. de decim.* Vel nisi adeo diuturnum sit tempus, ut eius lapsus superius insinuatam concedat facultatem, allegandi titulum absque necessitate probationis; Potissimè verò ac certius præscriptio excluditur, si non utendi occasio non adfuerit, *dicto disc. 26. de præempt.*

Atque hinc resultat, ut in annuis præstationibus, aliisque similibus juribus, nisi oppositio, vel denegatio, cum subsequuta acquiescentia accedat, præscriptio non intret, cum eadem declaratione, de qua proxime *Rozas decis. 387. Rovit. decis. 97. & dicto tit. de decim.*

Super requisito etiam scientiæ, & patientiæ eius contra quem præscribatur, quoties de juribus incorporalibus agatur, frequentes audiri solent quæstiones; Atque regula est, ut ea requiratur, cum stet

loco possessionis, sine qua præscriptio non datur; Nisi aliqua circumstantia limitationem inducat, atque ab hoc excuset, ut latius in suis peculiaribus sedibus advertitur *tit. de iur. patr. disc. 56. & 63. tit. de iurisd. disc. 1. & 34. & sæpius.*

Interruptio autem cum uno, vel cum aliquibus sequuta, an aliis, qui pacificè possederint præjudicet, quæstio est; Sive an interruptio in aliquibus actibus in aliis quoque impediatur præscriptionem; Idque à causæ univèrsalis, vel particularis distinctione decisionem recipit, ut primo casu interruptio proficit, non autem secundo, ut pariter in eius sedibus particularibus latius *dicto disc. 1. de iurisd. & tit. de decim. disc. 18.*

Strictæ naturæ præscriptio reputatur, ideoque extensionem non admittit, sed id solum præscriptum censetur, quod, aliis requisitis accedentibus, possessum est, & non ultra, add *ad decis. 20. par. 3. rec.*

Ideoque in dubio contra præscriptionem, atque pro ejus exclusione judicandum est, ut de facto praxis docet *Buratt. decis. 427.*

## De Probationibus in genere.

### SUMMARIVM.

- 1 Ad prosecutionem & terminationem iudicii necessariae sunt probationes.
- 2 De distinctione inter forum internum, & externum.
- 3 Iudex tenetur iudicare secundum acta, & probata, non autem iuxta privatam notitiam.
- 4 Quod non est in actis, non est in mundo.
- 5 Notorium non exigit probationem, atque in ea sufficientur extrajudiciales notitiæ.
- 6 In quibus casibus sufficiant informationes extrajudiciales, vel probationes insufficientes.
- 7 An Princeps, vel Principis Vicarius procedat cum informationibus extrajudicialibus.
- 8 Arbitrator, vel Arbitrator, an & quando procedat cum dictis informationibus.
- 9 Quod materia probationum sit arbitraria, & in ea non detur regula, & num. 19.
- 10 Cui incumbat onus probationis.
- 11 Recensentur plures species probationum.
- 12 De probationibus, ut habeantur pro factis in odium impediens eas.
- 13 Probata substantia, circa probationem quantitatis, vel accedentium sufficit levior probatio.
- 14 De coniunctione imperfectarum probationum in civilibus.
- 15 In antiquis sufficiunt probationes leviores.
- 16 Idem in iis que sunt de sui natura difficilius probationis.
- 17 Vel ubi a sistat verisimilitudo.
- 18 De probatione mediæ, probatis extremis.
- 19 De eodem de quo num. 9. quod materia est arbitraria, & num. 23.
- 20 De conclusionem, quod non est perfecta probatio, quæ habeat contrariam possibilitatem.
- 21 An & quando probationes inter alios factæ, alteri præiudicent.
- 22 Quid in causa status.
- 23 De eodem de quo num. 9. & 19.

DISC.



## DISC. XXII.

**C**essantibus præmissis, vel similibus exceptionibus, quæ iudicii ingressum, vel ulteriorem progressum impediunt; Ut ad eiusdem iudicii perfectionem procedi valeat, necessaria est, extrinseca probatio ejus, quod, agendo, vel excipiendo, per Actorem, vel per Reum respectivè, pro suæ intentionis fundamento allegetur, ut super probationibus, quæ fiunt, in forma judiciali in actis fundari possit sententia, quæ sine actis, nullius est momenti, ut infra, in ipsius sententiæ sede advertitur.

Ea etenim dignoscitur differentia, inter forum internum, & externum, quod in primo, cuius Judex est Deus, qui corda & mentes hominum videt, sola veritas, quamvis intrinseca, & hominibus occulta, attenditur; In altero autem, cuius Index est homo, qui videt in facie, non autem in corde, requiritur extrinseca justificatio publica in actis, ad eò ut veritas, non solum sibi, sed omnibus pateat; Ideòque vulgatum est Juristarum axioma, quod Judex, sententiarum, vel judicare debet, secundum acta, & probata, non autem juxta eius scientiam, vel conscientiam *Cocim. decis. 1784. Gregor. & add. dec. 224. decis. 197. par. 5. rec. Rom. prag. 1. & 15. de ord. iudic. Val. de iudice perfect. rubr. 14. annot. 3. ubi late colligit.* Undè propterea vulgò illud dictum circumferri solet, quod si Judex oculis propriis viderit, Titium occidisse, vel percussisse Sempronium, probationes autem factas in actis, & processu, concludant id gestum esse à Cajo istum, non autem Titium, condemnare debebit, Sive juxta aliquorum monitum, abstinere tenebitur à judicando in illa causa, Principem, vel alium superiorem, ad quem pertinet rogando, ut alium deputet, qui in causa judicet, *apud allegatos præsertim Valasc.* In idem alio influente axioma, quod per ora forensium in dies volitat, quod scilicet id, quod non est in actis, non dicatur esse in mundo, *dec. 197. p. 5. rec. cum alius ut supra.*

Solumque per extrajudiciales informationes, privatamque notitiam, procedi posse conceditur, circa ea quæ sunt facti, non autem juris, quoties ea, quæ in facto consistunt, notoria sunt, eorumque veritas, generaliter omnibus nota sit, vel de facili esse possit, ad eò ut agatur de eo notorio, quod sit publicum; Ut pro frequentiori contingentia exemplificari solet in qualitate seu valore monetarum alicujus Regionis; Vel situationis alicujus Civitatis, & loci, in una, vel in altera ditione, seu mundi parte, quoties ita sita sit, ut nulla finium controversia cadat, cum similibus; Secus autem ubi de illis factis, vel casibus privatis agatur, in quibus, ob populi multitudinem, prætendatur notoritas, quoniam ubi non agatur de illo notorio quod ipso iudice, ac pluribus aliis præsentibus sequatur, adhuc judiciali justificatione in actis indiget super illa notorii qualitate, quæ circa ordinem iudicii vel processum, conferre potest, *late Fagnan. in cap. vestra decobabit cler. ex num. 68. Dupoz. dec. 846.*

Et quamvis aliqui in jure dentur casus, in quibus extrajudiciales informationes, etiam præsumptas, vel possibiles sufficiunt, Attamen id procedit, in actibus voluntariis, non autem contentiosis jurisdictionis, in quibus, vel nullo extante oppositore, vel partibus concordibus, sola veritas in forma extrajudiciali pro actus validitate requiritur; Vel quia agatur de merè gratis, ut contingit in exe-

quationibus literarum Apostolicarum in beneficiis vel similibus, quando exequutor sit merus, non autem mixtus, juxta distinctionem de qua infra in sua sede *infra in eo discursu, in quo agitur de exequutore literarum Apostolicarum;* Vel ubi de simili alia executione absque figura iudicii agatur; Ut in illa beneplaciti Apostolici super alienatione bonorum Ecclesiæ, *tit. de alienat. & contractib. disc. 1.* Vel super similibus gratis ac dispositionibus contingit, eò quia merus exequutor reverà non est Judex, cujus nomen vel terminus congruit solum exequutori mixto.

In Principe autem, vel in eo maiori Magistratu, cui idem supremus Princeps, generaliter vel ad certum genus, eius facultates commisit, seu communicavit; Quæstio cadit, an per solam privatam notitiam procedere valeat; Idque varias habet sententias, variasque recipit distinctiones alibi insinuat, *tit. de Regal. disc. 148. & infra in relatione Curia agendo de S. Congregatione Episcoporum, & Regular. disc. 16.* meumque non est istam quæstionem decidere.

Ac etiam colligantium consensus privata personæ id concedere potest, ac solet, ut in compromissis praxis docet, quoties tamen, non de simplici arbitro agatur, sed de arbitratore, cui in figura amicalis compositoris facultas concedatur procedendi, etiam per extrajudiciales informationes, ac privatas notitias, *suprà discursu 11.*

Præsupposita itaque probationis necessitate; Super ea, certa regula generalis, cuicumque casui applicabilis non cadit, cum ob eius diversam qualitatem, pro causarum, vel casuum diversitate, diversa sit regula, vel decisio, quod scilicet; In aliquibus, ordinaria & regularis requiritur ac sufficit; in aliis autem, major ac extraordinaria desideratur; Et in aliis etiam minor ac imperfecta admittitur, & sic (ex. gr.) in ordinariis ac in differentibus causis, duo testes contestes, qui in dicto, vel in persona, vel in examine exceptionem non patiantur, ad perfectam & concludentem probationem sufficiunt; In altero autem casu non, sed magis exacta, & solennis probatio in testium numero, & qualitate desideratur; Et in altero etiam testis unicus admitti solet.

Prout, posita specie, seu qualitate probationis, quæ pro causa natura, seu qualitate necessaria sit; Adhuc id arbitrarium remanet, ideòque certam non recipit regulam, quando ista qualitas adesse dicatur, cum totum pendeat ex singulorum casuum individuis circumstantiis & adminiculis, ex quibus alias imperfectæ probationes, efficiuntur perfectæ & concludentes.

Super ejusdem autem probationis onere, cui scilicet incumbat, jam insinuatum est supra agendo de Actore, & Reo, Ut scilicet non incumbat illi qui sit actor in causa, illius substantiam considerando, Sed illi qui sit talis in ea re, quæ allegatur pro intentionis fundamento; Si enim Actor in causa, iam in probationibus facti, vel in assistentia, seu in dispositione Juris, eius intentionem, vel actionem fundaverit, Reus autem pro actione elidenda, exceptionem proponat, quæ justificationem exigat, tunc ipse Reus in hac parte, actoris partes gerere dicitur, *suprà disc. 2.*

Plures verò sunt probationis species vel modi, quibus singulis proprias ac distinctas rubricas pro clariori methodo distribuere congruit, quamvis earumdem specierum unio quandoque detur ut una alteram coadjuret, vel ejus defectum suppleat quæ



quæ pro facti qualitate quæ ponderanda, est prudenti Iudicis arbitrio, cui, ut præmissum est, lex istam probationum materiam commisit.

Species autem seu modi, ultra supra insinuatam privatæ scientiæ seu extrajudicialis informationis, ratione notoreitatis sunt; Primò confessio Partis; Secundò rei evidentia, Tertio juramentum; Quartò publicum instrumentum vel documentum; Quintò scripturæ privatæ; Sextò libri; Septimò testes, Octavò aliæ extraordinariæ species, nempe inscriptiones, historiæ, & similia; Nonò præsumptiones, & conjecturæ legis vel hominis; Et decimò peritorum in arte vel facultate, relationes, ac judicia; Idèdque de singulis hoc ordine retento in sequentibus Rubricis vel Discursibus agitur.

Illud autem generaliter advertendum est, circa omnes species probationum, de quibus infra quod scilicet in odium eius, qui probationes impediatur, illæ habentur pro factis, vel quod leviores sufficiunt; *Buratt. dec. 416. dec. 492. par. 9. rec. & sapius.* Item quoad ea, quæ pertinet ad materiam probationum in genere, plures cadunt genericæ propositiones, quæ omnibus supra recensitis speciebus congruunt, idèdque non magis sub una, quam sub altera specie cadunt.

Ut putà (inter multas) est illa, quando non agitur de probatione substantiæ, quæ jam bene probata sit, sed solum de probatione accidentis, putà quantitatis, vel qualitatis, quia nempe certò constet quod quis pecunias vel bona habuerit, vel furripuerit, aut occupaverit, non tamen constat de certa quantitate, vel qualitate, cum tunc minores, atque imperfectæ probationes sufficiant. *Ciriac. contr. 147. in fin. Farinac. quest. 176. Gregor. dec. 324. Belon. jun. cons. 93. Cels. dec. 264. Bich. dec. 495.*

Super conjunctione quoque plurium imperfectarum probationum ad faciendum unam perfectam, quæstiones in praxi frequenter cadunt; Atque in civilibus regula est affirmativa, quodque intret regula, ut singula quæ non profunt, unita juvent; Dummodo tamen imperfectæ, sine in suo genere perfectæ, & non aliàs, quoniam centum nihil, facerent vel unum nihil, sive centum sili corrupti non ligarent, *Affl. & add. decis. 12. & 337. Gregor. decis. 245. Roias decis. 159. Mantie. dec. 307. decis. 103. par. 5. rec. & in aliis.*

In antiquis etiam leviores, ac imperfectæ probationes admittuntur *decis. 34.* Prout generaliter in iis omnibus, quæ de sui natura sint difficilis probationis, quia in occulto fieri soleant illi actus, de quorum probatione agatur *dec. 191. p. 6. rec.*

Aut quod verisimilitudo assistat, cum ea opereatur ut leviores admittantur probationes. *Gregor. dec. 245. & advertitur infra disc. 32. agendo de testibus.*

Sivè quod agatur de probatione mediæ, quod probatis extremis, vel præsumitur, vel leviori probatione contentatur. *Mench. lib. 6. præsumpt. 64. Buratt. & add. dec. 172. & 875. & pluries alibi advertitur præsertim sub tit. de iurepatron.*

Et in summa; reputatur hæc materia probationum iudici arbitraria; *Ancharan. consil. 172. & 276. Mantie. dec. 338. num. 9.* Idèdque non de facili certam recipit regulam, cum à singulorum casuum circumstantiis decisio pendeat, ut præsertim occasione agendi de fide testibus, adhibenda inferius advertitur.

Stante autem illa propositione, quæ frequenter in foro per ora Prætorum volitat, quod perfectæ & concludens dici non potest ea probatio, quæ contrariam habeat possibilitatem, *Barbof. axiom. 191. Cels. decis. 161. in princip. & sapius.* Hinc plerique, imperfectam & non concludentem reputare solent omnem speciem probationis, etiam eam quæ per publica instrumenta, vel per plures testes idoneos, & testes, quinimò etiam per partis confessionem fiat, cum in testibus & instrumentis possibilitas falsitatis insit; Atque in propria confessione adesse valeat metus, vel concussio, aut error, seu dolus, cuius justificatio desit, quodque propterea non detur probatio perfectæ; Verum id fallaciam continet, quoniam ea dicitur probatio imperfecta quæ contrariam habeat possibilitatem, ubi scilicet ista possibilitas ex eiusdem probationis ventre resultat, quia nempe duplicem sensum habere valeat, sive ad duplicem diversum titulum referri, aut aliàs æquivoca reputari.

Super tertii præiudicio, quod ex probationibus resultat, frequentes audiuntur in foro quæstiones, an scilicet probationes factæ cum uno, præiudicent alteri; Regula verò generalis est negativa; Pluribus tamen subiecta limitationibus, super quarum verificatione, vel congrua applicatione, cadunt potius quæstiones, quales revera hodiè pene omnes aliæ forenses esse videntur, cum theoricæ generales, quæ apud antiquiores adèd controversæ fuerunt, videantur hodiè pene omnes explanatæ; Unam scilicet opinionem, quæ probabilior visa sit, recipiendo pro regula, Alias verò pro limitationibus.

Generaliter autem ea distinctio cadit an ille tertius, cui per has probationes præiudicatum esse prætendatur, coequalis, seu aliàs independens actus, ac de præsentis, habeat interesset (exempli gratia) est coheres, vel concors; Vel potius illud sit accessorium, & consequitivum ut (exempli gratia) est illud quod habeat successor infideicommissus, vel feudo, seu emphiteusi; Primò enim casu de plano intrat regula de re inter alios acta, ut alteri non præiudicet; In altero verò decisio pendet ex distinctione bonæ vel malæ fidei, eodem modo quo in transactionibus, vel in sententiis, aliisque actibus judicialibus habetur, cum eadem in omnibus ratio cadat, quod scilicet sufficiat probationes, aliaque acta tunc gesta esse cum legitimo defensore, absque collusionis, vel fraudis interventu. *de hac materia actorum tertio præiudicialium tit. de iuris d. aisc. 2. & 22. tit. de feud. tit. de Emphiteusi, & tit. de fideicommissis. circa transactionem & de hac materia probationum agunt Capic. Latr. consil. 16. & 129. Buratt. decis. 488. & 358. ubi add. Gait. de cred. cap. 2. tit. 3. ex numero 384.*

Undè propterea licet vulgò ea circumferri soleat limitatio, quæ causam status concernat, quasi quod ista causa aliquid speciale contineat; Attamen id æquivocum videtur, cum pendeat à præfata distinctione; Causa verò prædicta status exemplificativè potius pro frequentiori contingentiâ considerari solet, dum etiam in ista praxis docet, quod si (exempli gratia) pro habitu militari unius Religionis, vel pro habilitate obtinendi beneficia qualificata in una Ecclesia, justificaverit quis eius nobilitatem, vel puritatem sanguinis, aut aliam necessariam qualitatem, quæ personæ statum concernat, non indè tamen hæc probatio sufficit pro habitu in alia Religione, vel pro beneficiorum acquisitione in alia Ecclesia, cum qua probationes fa-



Et non sint, cum similibus; Bene tamen huiusmodi probationes, cum alio facta, praesertim in causa status, magnum praestabunt adminiculum novarum probationum, quae cum hac diversa persona fiant; tit. de praesent. disc. 33. & apud proximè allegatos. Ideoque facti potius, ac arbitrii, quam juris est quaestio, quae certam regulam generalem non recipit, cum totum pendeat à singulorum casuum circumstantiis, erroneumque propterea est; tam in

22 ista particulari conclusione, quam generaliter in univèrsa ista materia probationum, procedere cum generalitatibus, vel cum doctrinis, ac decisionibus, quae aliquos casus particulares percutiant, eorum combinatione non bene facta.

De confessione Partis; Et qua occasione agitur etiam de interrogatoriis actionibus, sive de Positionibus.

## S V M M A R I V M.

- 1 **P**artis confessio, superat omnem speciem probationis dummodo sit legitima.
- 2 Potissimè ubi sit confessio judicialis, & qualis ista dicatur.
- 3 Quando etiam confessio judicialis non afficiat, quia erronea, sed error non praesumitur.
- 4 Debet esse univoca, & equivoca non praedjudicat.
- 5 Non attenditur confessio in iis, quae consistunt in jure.
- 6 Minusque in iis, quae pendent à facto tertii.
- 7 De implicita confessione, quae resultat à productione.
- 8 An id resultet à productione facta per procuratorem.
- 9 De confessione quae resultat à positionibus, & quod ponens fateatur, sed non articulet.
- 10 Unde deriveret ista conclusio, & quomodo intelligi debeat.
- 11 De operationibus iuramenti, & quomodo debeant intelligi.
- 12 De actionibus interrogatoriis, & de obligatione respondentendi.
- 13 Quod usus positionum sit inutilis, & debeat aboleri.
- 14 De abusu circa perjurium.
- 15 De confessione judiciali deducta ex obligatione penes acta.
- 16 De confessione extrajudiciali, quando probet.
- 17 Confessio minorum, & mulierum prohibitarum contrahere non praedjudicat.
- 18 In his confessiones judiciales attenduntur, & praedjudicant.
- 19 Declaratur quando confessio judicialis sine solemnitatibus praedjudicet.
- 20 Confessio extrajudicialis parte praesente probat.
- 21 Etiam si per epistolas familiares.
- 22 Quid de confessione extrajudiciali parte absente.
- 23 De eadem, & quomodo ista confessio debeat probare.
- 24 De confessione extrajudiciali parte absente per epistolam scriptam tertio.
- 25 Confessio tertii an attendatur in praedjudicium tertii, & praesertim de confessione Tutoris, & Praelati, vel alterius administratoris.
- 26 Confessio qualificata, an possit dividi, atque rejecta qualitate attendi, distinguitur.
- 27 De confessione debiti facta in testamento, quid importet, & an sit revocabilis.

Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

- 28 De regula, quod confessio auctoris nocet heredi, & successori.
- 29 An confessio procuratoris praedjudicet, & an possit revocari.
- 30 In beneficiis quid operetur confessio Partis.
- 31 Quid in materia fideicommissaria.
- 32 Confessio non praedjudicat in iis, quae obiter, & ad alium effectum dicuntur.
- 33 De regula generali in materia.

## DISC. XXIII.

**C**ertum est, nimiumque vulgatum juris principium, quod nulla datur major probatio, quam proprii oris confessio, quae inter omnes species probationis est prima, aliarumque mater, Verum quia de legitima, perfecta quoque confessione id intelligendum est, adeo nullam patitur exceptionem, ex multis, quae in jure considerantur; Hinc proinde, quamvis axioma, generaliter, ac in abstracto clarum, atque indubitatum sit, in concreto tamen super eius applicatione, nimium frequentes audit foris quaestiones.

Duplicis namque speciei confessio est, Una scilicet judicialis; Et altera extrajudicialis; Illa verò quae in iudicio fit, plures habet species, quoniam; Alia est vera & propria confessio judicialis, quae in ipso calore, ac forma iudicii, explicitè, atque consultò fiat, puta quia Parte interessata, vel Iudice in forma iudicii, debitorem, vel delinquentem interrogante, ipse positivè interrogatis respondendo veritatem fateatur; Tunc etenim verè & propriè praefatum axioma locum habet, atque alterum intrat, quod in confessum aliae non sunt Iudicis partes nisi in exequendo, dum ipsemet Reus, vel debitor, ita se ipsum ore proprio iudicavit, add. ad Vesp. lib. 5. cap. 16. Post. de manut. obser. 19. num. 17. & seq. tit. de credit. disc. 116. & infra in eo disc. in quo agitur de processu executivo in actione personali.

Et nihilominus, etiam isto casu, praesupposita in confitente, iudicii, vel rationis perfectio usu (cum posita imperfectione, illa sine dubio nullius momenti sit,) adhuc non desunt exceptiones, tam in criminalibus, de quibus in praesenti non agitur, quam etiam in civilibus; Primo scilicet erroris, qui tamen in facto proprio non praesumitur, sed concludenter probari debet, Mant. dec. 199. Baratt. decif. 369. Bich. decif. 367. Secundò alicujus accidentalitatis habetationis mentis, vel intellectus; Tertio quod confessio ambigua sit, cum ad effectum praedjudicii, omninò clara, & univoca requiratur, adeo ut dubia, vel aequivoca, favore confitentis interpretanda sit, ut ei quominus fieri potest, praedjudicet. Mant. decif. 205. decif. 218. par. 6. rec. add. ad Baratt. decif. 443. tit. de testam. disc. 33.

Quartò quod confessio contineat rem, quae ab animo vel à facto proprio pendeat, & in quibus terminis axioma procedit; Secus autem, ubi sit confessio in iis, quae juris sunt, in quibus ea non attenditur, ubi jus ita non disponat, & ubi disponat, nil refert confessionem adesse, cum ipsius legis operatio sufficiat, adeo ut ea, vel non sufficiat, vel non sit necessaria. Baratt. decif. 335. & 483. & utrobique num. 5.

Quintò quod factum tertii contineat, seu quod alias à facto confitentis non pendeat, in quo pariter tanquam confessio partis, adeo operativa non consideratur; Bene tamen ad veritatis comprobationem.

G

batio.